

COMITIORVM

15

REGNI POLONIÆ

GENERALIVM

Forma, Vis, & Effectus.



C R A C O V I Æ,

*In Officina Typographica Francisci Cesarij,  
Anno à Partu Virginis. 1644. ✓*



EXXI 370

CRACOVIA

WILHELMUS DE ...

...



*Illustri & Magnifico Domino,*

**D. CHRISTOPHORO**

**S V Ł O W S K I,**

**De Skołyfzyn**

**PALATINO RAVENSI, &c.**

*Domino ac Mæcenati Colendissimo.*



*ONscedenti Tibi Illustris & Magnifice Domine, fausto Sydere ac letis ominibus, Curru-  
le Supremæ dignitatis Senato-  
riæ Terræ Rauensis, vniuersa  
Nobilitas totusq; Nobilissimus  
Equestris Oræ ipsius Virorum  
Ordo, Magnates, Primates, gratulabundi ob-  
uiam sunt effusi, sub ipsis Noui huius Anni auspicijs,  
sub Conuentu Prouinciali Generalem antecedenti,  
Rauam primariam sedem suam ad conferendum pu-  
blicum, de re & publicis negotijs consilium congregati,*

## Præfatio.

omnes omnium cum genere lætitiæ, certatim in conspectum tuum ruunt, diem aduentus Tui consecrant: Te novum Terræ suæ Ducem præsidem post inferias, ac iustis pijs manibus prædecessoris Tui, Viri consilij magni, magnæ virtutis, authoritatis, & prudentiæ persoluta deposita veste pulla festis excipiunt vocibus, gratulationes & salutationes mille ingeminant, demissa obsequia, prompta & parata studia, officiosè deferunt: In rebus agendis prosperitatem, ac felicitatem, fortune Constantiam, vitam diuturnam, & incolumitatem, communibus votis & suffragijs, cuncti precantur, omnia denique in Conuentu suo solenni & ornatissima corona veræ gratulationis munera ingenti studio implent. Ingratus videar: ni una cum fratribus meis absens tanquam præsens, id officij præstem & exequar, non modò prout conterraneus, verùm etiam pro tua singulari in me animi propensione, & munifica liberalitate, pronus in obsequium, semperque tui studiosissimus. Gratulor itaq; , ac in evidentius gratulationis meæ gratique animi testificationis argumentum, Comitiorum Regni Generalium Typum Illustri Magnificentie Tue offerro. Felices nos præ cæteris gentibus (sed absit Nemesis) felices inquam  
ac ter-

## Præfatio.

ac terque quaterque beati, quibus deliberandi, quibus de periculis imminentibus, à patria hostium finitimorum copijs undiquaque circumuallata auertendis & propulsandis, matura consilia in Conuentu Generali omnium Statuum & Ordinum Regni utriusque gentis ineundi, communicandi, tantum temporis Celitus tribuitur, quibus sub felicibus auspicijs fortunatissimoque diuina suffragante gratia imperij clauo, Sacra & Serenissima Maiestatis Regie Domini nostri Clementissimi, pace, otio, tranquillitate, in tanto turbine rerum externarum, & asperiori temporis articulo, frui diuinitus conceditur. Primum itaque hoc munusculum meum literarium Illustris & Magnifice Domine, quod Xenij vice reuerenter offero, bilari ad instar Artaxerxis à Syneta guttam aque utraque vola hauste oblatam grato animo accipientis excipe fronte, mentisque potius affectum, quàm rei que offertur, exiguitatem metiaris. Dominum Deum meum suppliciter oro, ille tibi, amplissimo Senatui, Salutis ac mentis publice principi, inclitis Proceribus, & Statibus Regni, tam in presenti fratrum Cetu & Comitio Terrestri, quàm futuro Vniuersali Salutaria ad Salutem Reipublice conseruandam, in-

Præfatio.

spiret & suggerat consilia. Te porro ad hoc digni-  
tatis fastigium & culmen honoris pro tuis Heroicis  
virtutibus, insigni prudentia, & optimè de Republi-  
ca merendi studio prouectum, vnâ cum Illustri Con-  
iuge Dorothea de Lezenice Gostomia, Filio Tuo ac  
Nepote à Filia Illustris & Magnifici Domini Zbi-  
gnei de Olesnicá Olesnicki Capitanei Opocznenfis,  
quondam Coniuge charissima, summe spei & expe-  
ctationis iuuenibus, quam diutissimè saluum seruet &  
incolumem. Datum Miedzyboreæ XI. Mensis Ia-  
nuarij, Anno à Nato Christo Domino, M. DC.  
XL. III.

Illustris Magnificentiaæ Tuæ  
obsequentissimus.

Stanislaus Łochowski Castri  
Opoczneń. Notarius.



# COMITIORVM

Regni Generalium

FORMA.



ACRA & Serenissima Maestas Regia, antequam Comitia Regni Generalia quouis biennio, aliquando sæpiùs ita suadente Reipub. necessitate celebrari solita instituat literas inprimis deliberatorias, de celebrandis nec ne Comitijis, ad primarios Ordinis Senatorij status, tam Spiritualis, quàm Secularis viros præmittit, ex eorumque Senatus consulto & sententia Comitia Generalia indicit literas Vniuersales, Generalem & particulares Conuentus edicentes, & assignantes, per totum Regnum, Ducatus, Palatinatus, Terras, & Districtus spargit, quæ Typis excussæ, ac Sigillo Regni maioris minorisue Cancellariæ consignatæ ad Capitaneos Iudiciales, vel eorum Vicecapitaneos

neos, directæ, per Tabellarios vel Velites suæ Maie-  
statis Regiæ, cursu celeri defferuntur, ab Officijs  
Castrensibus (vt mandatur) è vestigio alta voce præ-  
conum ( qui Ministeriales Generales vulgò vocan-  
tur ) in foro ac locis publicis publicantur, diuulgan-  
tur, ac præcipuis personis ac Officialibus Terrarum,  
è fasciculo selectæ dantur, remittuntur, anticipante  
Conuentus particulares sex septimanarū tempore.

## Conuentus Particulares.

**S**enatorius itaq; & Equestris Ordo vniuscuiusq;  
Ducatus, Palatinatus, & Terræ, literis ijs Vni-  
uersalibus Sacræ Maieſtatis Regiæ de indictis  
Comitijs certiores facti, pro die determinata cele-  
brandi Conuentus Prouincialis seu particularis gra-  
tia, ad locum consuetum eiusdem ipsius territorij  
propriū, magna stipante caterua, ne Reipub. deesse  
videantur, pro Officij sui debito confluunt; Ædesq;  
sacras, seu Templum in maius loci eiusdem introgressi,  
( ad conferenda consilia vocemq; publicam, libe-  
ram, ac suffragia, nullum locum aptiorem & secu-  
riorem esse rati ) implorata ope & auxilio ad aras  
& ad altaria sacrata Diuino Marsalcum in primis seu  
Dire-



Directorem Conuentus è medio sui personam gra-  
uem, & illustrem, gerendo huic muneri aptam, &  
idoneam eligunt: qui Electus munus suum capef-  
fendo aliquot insignes & præcipuos viros pro de-  
core & dignitate Palatinatus sui, ad inuitandum &  
introducendum in medium cætus illius Nuncium  
Sacrae Maiestatis Regiæ eò delegatum, assignat:  
missi itaq; & hospitium Nunciij conuenientes, eun-  
dem totius Conuentus fratrum nomine in mediũ  
confessus inuitant, ex hospitio honorificè in tem-  
plum inducunt, qui præsens à tota congregatione  
assurgente, ea quâ decet cum reuerentia excipitur:  
porro exceptus literis inprimis Sacrae Maiestatis Re-  
giæ fidei exhibitis, gratiam suæ Maiestatis Regiæ  
Domini sui clementissimi, & omnia fausta Palati-  
natui præfatus, iuxta instructionem Regiam, nego-  
tia Reipub. pericula interna & externa, futuræ de-  
liberationis & consilij materiam, vel ex scripro, vel  
memoriæ mandata, disertis recitat & exponit ver-  
bis, mentem Sac. Maiest. Regiæ declarat, atq; vt eius  
Palatinatus omnes deliberationes, omnia consilia,  
ad salutem Reipub. sartam tectamque conseruan-  
dam, dirigantur, & conferantur suæ Maiestatis Re-  
giæ nomine petit, monet, & exhortatur.

Audita instructione seu propositione Nuncij Regij, assurgens Marschalcus, & communicato cum Nobilitate consilio, totius Palatinatus & Ordinis Equestris nomine, Sacræ & Serenissimæ Maiestati Regiæ Domino suo clementissimo, pro paterno verè erga Rempub. affectu, Reipub. cura sollicita, periculorum tempestiua tanquam è specula in omnes fines Regni circumcirca oculis directis præuisione, animaduersione, maximas summa cum reuerentia agit gratias, omnes deliberationes, omnia publica Conuentus eius consilia, ad eum finem & scopum, quo suæ Maiestatis dignitas salua sit, & salus Reipublicæ vindicetur, tanquam à bonis Ciuibus patriæ, Regis, & Reipublicæ studiosissimis, directæ, & collata iri promittens. Interea Nuncium Regium ad hospitium suum ijsdem personis reduci iubet.

Post discessum Regij Nuncij silentio edicto Marschalcus, vota, sententias, ac suffragia Nobilitati auspicijs à Senatoribus, Officialibus Terrestribus, Castrensibus ductis, distribuit, qui ad propositionem Sacræ Regiæ Maiestatis, de negotijs publicis internis & externis, periculis propositis, præsidijs, subsidijs; & quid magis Reipub. expediat, & sit proficuum, sententia pro loco suo dicta, & copiosè perorata,

orata, Nuncios Terrestres ad Comitata Regni Generalia imminencia, è gremio sui Palatinatus viros præstantes, & eximios, prudentia, virtute, dexteritate, & in rebus gerendis publicis experientia plurimum valentes, suffragijs suis nominant, tot quot è Palatinatu eodem mitti & legari antiquitus solent, quorum nominatorum & Electorum suffragia à Marschalco fideliter excipiuntur, & in tabella connotantur.

Finitis & absolutis sententijs Ordinum, à maximo ad minimum, Marschalcus nouissimè suam dicit Sententiam, collatisque & computatis suffragijs, electos Nuncios pronuntiat, nominat, finemque facturus Conuentus, Nuncium Regium in medium per personas Nobiles aduocat; aduocato, & in medium adducto, pro voto Sacræ Maiestatis Regiæ, consilia Ordinum congesta, absoluta Nuncios electos Terrestres, & omnia ritè ac legitimè peracta, & effectum finalem (fauentibus Superis) è re & dignitate suæ Maiestatis Regiæ, & Reipublicæ Conuentum particularem sortitum esse, eidem disertis denunciatis verbis: tandem dexteris dexteræ iunctis, omnes vnâ & insimul finito Conuentu ex ædibus Sacris sese recipiunt.

Absoluto in Æde sacra Conuentu, & cætu dimisso domum certam seu hospitium alicuius Senatoris, deputatæ certæ ad conscribendos articulos personæ conueniunt, in formam eos redigunt, conscribunt, & manu Marschalci subscriptum articulo-  
rum instrumentum, Nuncij Terrestres accipiunt, atque ita finito ac peracto Conuentu, domos suas quisque se recipiunt & conferunt.

## Conuentus Generalis.

**I**N sex à Conuenticulis Prouincialibus seu particularibus Conuentum Generalem antecedentibus septimanis proximis, adueniente die & tempore Generali Conuentui assignato, Ordo Senatorius, tam Spiritualis, quam Secularis, nec non Nuncij Terrestres omnium Ducatum, Palatina-  
tuum, & Terrarum Regni, ad præsentiam Sacræ Maiestatis Regiæ, locumque Conuentui Generali assignatum (quanquam is Varfauix lege perenni fit demonstratus, urgente tamen Reipublicæ necessitate, vel aliquo legali casu eueniente, etiam alibi locorum indici, & agi solet) concurrunt, corpus totius Reipub. repræsentantes.

Prima Conuentus die, post absolutum in ma-  
iori Ecclesia præfente Sacra Maieftate Regia, Senatu,  
ac Nuncijs Terrarum astantibus, & Diuinæ Maie-  
ftati pro fælicibus auspicijs, fortunato fucceffu, læ-  
to & optato exitu Comitiorum fupplicantibus, Sa-  
crofanctæ Miſſæ Officium, de Sancto Spiritu de-  
cantatum, reducta ad arcem é Templo cum folen-  
ni pompa & aſſiſtentia, Sacra & Sereniſſima Maie-  
ftate Regia, Nuncij Terrarum ad locum feu ſtubam  
ſuam in arce ſibi ad conferenda conſilia publica  
aſſignatam congregati, Marſchalcum feu Directo-  
rem ſuum, virum grauiffimum, authoritate, indu-  
ſtria, facundia, & prudentia ſumma præditum, libe-  
ris ſuffragijs alternatim pro vna vice, & Comitijs,  
ex gente Polonica Maioris Poloniæ: altera vice è  
minori Polonia, Polonum: tertia vice è gente Li-  
thuanica Lithuanum, hoc ordine & alternata qui-  
buſuis Comitijs obſeruata, eligunt, & ſuæ directio-  
ni ac regimini præficiunt.

Post electum Marſchalcum eo die nihil agitur,  
iuxta illud. Prima dies currit ipſi Marſchalco, ad  
deliberandum ſuper ſalutationem Regiam, ad cra-  
ſtinam lucem dantur induciæ.

Adueniente ſequenti die, Sacra Maieſtas Regia,

cum Senatoribus Spiritualibus & Secularibus stubam Senatoriam ingreditur, in Solio & Throno suo Regali collocatur, Senatoribus ad latus vtrumque suæ Maiestatis Regiæ, in Sellis suis Senatorijs confidentibus.

Post fessum Regium & Senatus Nuncij Terrarum signo per Marschalcum Regni dato, (amota & foras exturbata è Stuba Senatoria turba inutili, locoque seu accessu per Marschalcos Regni Nuncijs patefacto & dilatato) adueniunt, factoque & indicto à Marschalco Regni alto silentio, Marschalcus Nunciorum Subsellia Senatoria propius accedens, in facie Sacræ Maiestatis Regiæ, & Senatus poplitibus demissè flexis, summa cum reuerentia, oratione culta, splendida, & luculenta, Sacram & Serenissimam Maiestatem Regiam Dominum suū clementissimum, totius Reipub. suoque & Equitum fratrum suorum domi derelictorum nomine salutatur, Subiectiones, obseruantiam, studia, & officia commendat, faustum imperium ac diuturnum Dominium precatur, & quantum fieri potest ore facundo, disertè, prudenter, & luculenter oratione perorata, se ad osculū manus Sacræ Maiestatis Regiæ vnà cum suis Collegijs suppliciter & humiliter petit admitti.

Abso-

Absoluta Marschalci Nunciorum oratione, con-  
uocantur per Marschalcum Regni ad solium Maie-  
statis Regiæ Senatores, ibi paucis collatis & dimisso  
in sua loca Senatu, Cancellarius Regni, seu Vicecan-  
cellarius ad latus Sacræ Maiestatis Regiæ constitu-  
tus, Sacram & Serenissimam Maiestatem Regiam,  
Dominum suum clementissimum, grato animo sa-  
lutationem Nunciorum suo & Regnicolarum fra-  
trum suorum nomine, ad solium suæ Maiestatis al-  
latam accipere respondet, gratiam Regiam sibi &  
fratribus suis & paternum suæ Maiestatis erga to-  
tam Rempublicam affectum, & beneuolentiam  
offert, atque vt ad osculum manus suæ Maiestatis  
Nuncij procedant, benignè & placidè inuitat. Mar-  
schalcus itaque Nunciorum inprimis progreditur,  
& in vtramque partem Senatus, cuius per medium  
procedit, flexis genibus, Solium Sacræ Maiestatis  
Regiæ propius accedit, & poplite demississimè in-  
flexo, dexteram Sacræ Maiestatis Regiæ expor-  
rectam osculatur; exosculata hinc inde iterum  
atque iterum flexis genibus venerabundus rece-  
dit. Pergunt per ordinem simili modo, reliqui  
omnes, vnus post alium ad idem osculum, Nuncij  
candem exhibentes ceremoniam, & reuerentiam,  
à ma-

à maximo ad minimum, per vices Palatinatum  
& Terrarum.

Post oscula constitutis in suo loco Nuncijs, Cancellarius vel Vicecancellarius Regni, lateri Sacrae Maiestatis Regiae propius astans, declarata in primis suae Maiestatis nomine causa impulsiva, indicti Conuentus Generalis, ad propositionem quae est Cardo rei, omnisque publici consilij Conventionalis materia, accedit, quam si fuerit prolixior ex scriptis recitat, vel viua voce per puncta & articulos, de quibus consultatio fieri debeat verbis clari-  
disertis, & expressis, Nuncijs Terrarum circumcirca auribus arrectis astantibus, & auscultantibus pronunciat.

Absoluta propositione, Cancellarius ad suam sellam poplite demissè flexo recedit, Marschalcus autem Regni, indicto silentio, vota Senatoribus distribuit, qui ad propositionem Regiam iuxta Ordinem Senatorium, in primis Spiritualis, deinde Secularis status Senatores, in Senatu Nuncijs attentantibus, & sensibus imis reponentes, sententias suas dicunt, & copiosè perorant, atque in dicendis Sententijs, (praecipuè in frequentiore Senatu) tempus vnius plerumque Septimanæ conteritur, donec integer Senatus vices suas obierit.

Absolu-



Absolutis & auditis senatorum Sententijs, Nuncij Terrestres, è Stuba Senatoria in suam Stubam secedunt, ibi ab ipsis vacantijs siue Officijs Regni vacantibus, in quantum aliqua occurrant, & vacent, Comitia ex præscripto legum auspicantur, eorum distributionem à Sacra Maestate Regia petunt, ne aliqua fiat in aggrediendis Reipub. negotijs remora & cunctatio.

Vacantiarum absoluto negotio, Nuncij Terrestres per Palatinatus seruato eorum ordine, ad propositionem Regiam, ad mentem fratrum absentiu domi sese continentium dicunt sententias.

Dantur & deputantur certæ è medio Nunciorum personæ ad exigendas rationes, & calculum à Thesaurario Regni, qui in peculiari loco rationes Reipub. coram iisdem deputatis ponat & faciat.

Interim reliqui Nuncij sententia ad propositionem Regiam dicta articulos Palatinales percurrunt, de negotijs Reipub. publicis & priuatis tractationes instituunt, præsidiorum & subsidiorum propter auertenda pericula, tunc Reipub. imminetia, media conuenientia conquirunt.

In graui materia & ardua Reipub. causa, quæ in multitudine, haud ita facile decidi possit, assignantur &

tur & deputantur certi è medio Nunciorum prudentes viri, qui adhibitis eodem & impetratis à Sacra Maiestate Regia, & Senatu suis deputatis, seorsuo in loco rem propositam agitant, soli eidem vnicæ intenti quæstioni: Media adiuuenta Nunciorum collegio referunt, qui eorum è re, Reipublicæ magis conducentium delectum faciunt, & Sacræ Maiestatati Regiæ Senatuique repræsentant. nihil etenim in ipsis Comitij Regni sine consensu Sacræ Maiestatatis Regiæ & omnium Ordinum Regni nempè Senatus, & Terrestrium Nunciorum statui & concludi potest.

Alia porrò omnia negotia Reipublicæ, huic stubæ conuenientia, pro iure & more recepto & antiquitus obseruari solito, in Stuba Nunciorum à Nuncijs tractantur, agitantur, plurimisque pro & contra concertatur rationibus: vbi dum aliqua quæstio & negotium publicum apud Nuncios maturè definitum & conclusum fuerit, ad superius Subsellium Sacræ nimirum Regiæ Maiestatatis ac Senatorium, pro suprema refertur approbatione.

Interea dum Nuncij Terrarum consultant, rem Reipublicæ agunt, Sacra Maiestatas Regiæ cum Senatoribus lateri suo assidentibus, in Stuba Senatoria sta-

ria statim post absoluta Senatorum vota, Ius dicit & iudicia causarum criminalium continuè toto & integro vnus septimanæ curriculo exercet, datis & assignatis ad attendendas condemnationes in pœna contumaciæ super primas Citationes Comitiales, duobus Castellanis, quæ inferius in Cancellaria Terrestri expediuntur.

Expeditis & absolutis integra septimana actionibus criminalibus, ad reliqua pergit absoluenda Conuentui seruientia Sacra Regia Maiestas Iudicia, vt potè Causarum fiscali, de bonis nullo iure receptis, & à Tribunali Regni actionum remissarum, tum causarum Lithuanicarum, Ruthenicarum, ac id genus aliarum, tribus tantùm ad tractandas & dignoscendas causas criminales in septimana diebus exceptis.

In cursu Causarum, & sub Iudicijs admittuntur cum suis postulatis, petitis, Terrarum Nuncij, ad Solium Maiestatis Regiæ & Senatus responsa hinc inde illis dantur, datis nihilominus Iudicia continuantur.

Legati & Nuncij externi audiuntur, expediuntur, in præsentia tamen Nunciorum Terrestrium.

A summis bellorum Ducibus & Præfectis Exercituum

cituum Regni, Insignia & Trophea, tormenta bellica, captiui, signaque victoriæ parta ex hostibus Regni, publicè redduntur, vexilla hostilia ad pedes Sacræ Maiestatis Regiæ prosternuntur, rationes belli gesti à Ducibus tam Supremis quàm Campiductoribus publicè referuntur, explicantur: quibus pro bello strenuè gesto, virtutibus bellicis exhaustis (sanguini pro patria fuso non parcendo) laboribus à Sacra Maiestate Regia per Cancellarium Regni, à Senatu & Nuncijs Terrestribus, laudata Ducum & Exercitus totius Regni virtute solennes fiunt in Theatro Reipublicæ gratiarum actiones, & præmia digna datis occasionibus promittuntur.

Hæc & alia dum coram Sacra Maiestate in Senatu geruntur, ne Stuba Nunciorum aliquid à negotijs Reipublicæ remittat, vel remissiùs agat, Sacra Maiestas Regia per certos Senatores & Consiliarios suos suam interponit auctoritatem, pericula ceruicibus impendentia exponit, animos eorum ad opem & suppetias patriæ periclitanti ferendas, accendit, stimulat, & paternè hortatur: Temporis iactura nihil esse perniciosius inculcans.

Interea Iudicia Conuentualia continuè tractantur,

tur, sub finem tamen Comitiorum Sacra Maiestas Regia, Secreta consilia Regni tractura in occulto & abdito loco seu Stuba, ipsis tantum Senatoribus ac Secretarijs maioribus admissis, ea confert & cum Senatoribus Regni communicat, qua die nulla celebrantur Iudicia.

Imminente & appropinquante vltima Comitiorum periodo, aliquot ante Conclusionem diebus, vltro citroque inferuntur, agitantur, & examinantur articuli de periculis à Repub. arcendis, subsidijs conferendis, rebusq; internis & externis componendis grauissimè laboratur.

Adueniente tandem vltima Comitiorum die quæ sex Septimanis continuis agitata, eadem ipsa qua cæpta sunt finiuntur die, totum Nunciorum Terrestrium Collegium vtriusque gentis, cum articulis paratis scriptis omnes vna & insimul Sacram Maiestatem Regiam & Senatum adeunt operam & labores suos testata faciendo, per Marschalcum suum articulos recitant, qui à Sacra Maiestate Regia & Ordine Senatorio, vel approbantur vel reponuntur, datis iustis, æquis, & probabilibus rationibus: totaq; illa dies vltima in Cōclusionione Comitiorū plerumq; in multā noctem protracta, consumitur.

Hic hinc negotia Reipublicæ definiuntur, bella  
offensiuâ vel defensiuâ decernuntur: Nerus belli  
prouidetur: Subsidia seu Contributiones tot  
quot bello gerendo, sufficere videantur, laudantur:  
Disciplina militaris instituitur, stipendia milita-  
ria procurantur: quod si verò potentioris hostis vis  
ingruat, quæ Ordinario stipendiario milite propul-  
sari nequeat, augetur exercitus, suppletur, ac insuper  
(quia vnita virtus fortior) expeditio generalis bel-  
lica sine tamen diuisione belli per totum seu ex toto  
corpore Regni laudatur, ad manum datur Sacræ  
Maiestatis Regiæ, Consiliarij bellici deputantur.

In eisdem Comitijis, ea quæ ad normam seu re-  
formationem Iudiciorum, propagationem boni  
& commodi publici, quæcunq; conuenientia &  
necessaria visa fuerint, tam per totum Regnum  
quàm membra ipsius, certis videlicet in Palatina-  
tibus, tam ad tempus quàm in perpetuum in vim  
legis seu Constitutionis publicæ sanciantur, vel  
etiam vetera abrogantur. Noua autem condun-  
tur, & statuuntur.

Item Indigenatus, Nobilitationes, Feuda, do-  
nationes, & earum Priuilegia autoritate Conuen-  
tus conceduntur, approbantur.

Infames

Infames ad pristinum Ius libertatis de Consensu omnium Ordinum Regni & partis læsæ restituantur, vectigalia, Thelonea, & eorum reuisiones conceduntur, & plurimæ Constitutiones è re Reipublicæ, pro commodo vtriusque gentis cum consensu omnium Statuum Regni, autoritate Comitiorum Generalium statuuntur, & laudantur.

Porrò si ob aliqua grauia & magis ardua Reipublicæ negotia eodem in Conuentu omnia ritè ac legitimè perfici & absolui non possint, per legem recessus cætera ad futurum Conuentum differuntur.

Facta Conclusionè, Nuncij Terrarum vltimum vale Sacræ Maiestati Regiæ dicturi, ad osculum manus Sacræ Maiestatis Regiæ accedunt, exosculatione recedunt, ita Comitia Regni determinantur.

In Crastino Conclusionis die Constitutiones Conuentus eiusdem in vim legis, quàm transgredi nefas, imò ab omnibus Sacrosanctè colitur, & obseruatur, ac ad Exequutionem debitam à Capitaneis locorum suisque Officijs deducitur, ac pænæ interpositæ transgressionibus irrogantur, latæ & laudatæ, ad Acta Castrensia illius loci quo Conuentus

uentus actus est, manu Marschalci Nunciorum Ter-  
restrium subscriptæ, offeruntur, actantur: Tan-  
dem prælo subiectæ & Typis excussæ ad Officia Ca-  
streñ. per totum Regnum remittuntur, Actis publi-  
cis inseruntur, publicantur; à quarum publi-  
catione omnis dependet earum vis  
& exequutio.

